



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psal. CVIII. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, &c. Carm. gen.  
2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)



Frena dedit uitijs, retrahit sua munera iustus  
 Arbiter: indomitos animos & corda superba  
 Cladibus affligit: sæuis punire tyrannis  
 Tradit, & ignauo petulans sub principe uulgus  
 Contemptu, populis prædam iubet esse propin-  
 quis.

Perq; inopes uictus terras traducit, ubi antè  
 Nulla hominũ tritam mōstrant uestigia callè.  
 Auertit mala pauperibusq; animiq; modestis,  
 Atq; hilares multa fœcundat prole penates.  
 Hæc spectat gaudetq; boni: malè cōscia mustat  
 Turba metu. Ast animi quibus est solertia, cura  
 Assidua uoluūt, memoriq; hæc mēte recondūt,  
 Luceat ut cunctis Domini clementia terris.

PSAL. CVIII. *Paratum cor meum, Deus,  
 paratum cor meum, &c. Carm. gen. 2.*

**M**ENS infracta malis, animi uigor integer, or-  
 Te uoce, rector, te celebrabit lyra. (bis  
 Eia age, depositis mens expergiscere curis:

Et tu canora barbitos cum nablijs.

Ocyus auroræ quàm Lucifer excitet ignes,  
 Aurora cantus quàm uolucrum exsuscitet,  
 Te pater alme cana: populos tua facta per o-  
 Quacunq; tellus pãditur, uates fera. (mnes

Nam tua fiderei bonitas fastigia cæli,  
 Fidesq; tractus nubium superuolat.

O Deus augustum nitido caput exere cælo:  
 Ostende terris gloriæ iubar tuæ.

Eripiasq; tuos gelidi formidine leti  
 Præfens, & opifer inuocantes audias.

O iij



Audijt ex adytóq? Deus flammantis Olympi,  
 Vocem rependit gaudij prænunciam.  
 En tibi frugiferos Sichimæ dispertiar agros:  
 Vallem Sucothi metiar decempeda.  
 Nonne mihi parent Iacobi pignora, quisquis  
 Vel pecore tondet arua, uel uomere secat?  
 Oppida sub pedibus Syriæ calcabo superba,  
 Moabum, Idumen, & Palæstinas domos.  
 Quis mihi pādet iter munitas ductor ad arces?  
 Muros Idumes diuitis quis diruet?  
 Quis nisi tu nostræ gentis Deus unice tutor?  
 Qui nos premendos hostibus reliqueras,  
 Offensus uitijs prauis: nec in arma ruentes,  
 Nostros præibas dux, ut antè, exercitus.  
 Nunc pater auxilium rebus bonus adfer in ar-  
 ctis.  
 Humana fallax credulos spes decipit:  
 Te duce, uictrici decorati tempora lauro,  
 Pedibus prememus hostis arrogantiam.

PSAL. CIX. Deus laudem meam neta-  
 cueris, quia, &c. Carm. gen. 2.

**N**E fileas, ne dissimula mea gloria, nèue  
 Sine ueritatem supprimi mendacio.  
 Me scelerati oris fraus, & crudele uenenum,  
 Proterua fictis lingua me premit dolis.  
 In me odia occultis acuunt sermonibus iras,  
 Et immerenti fabricant molestiam.

17 **Q**ui mihi debebant fidum solamen amici,  
 Probra ingerebant clanculum & conuitia.

Ast